

$\pi d$   
190





AN. 535, 1

Q. D. B. V.

B. M. II

II d  
190

DISSERTATIO ACADEMICA

De  
**SCRIPTIS  
SATYRICIS,**

Quam  
Incluta Facultate Philosophicâ  
benevolè annuente

*SUB PRÆSIDIO*

**M. JO. TOBIÆ HEINRICI,**  
**LIPSIENSIS,**

SS. Theolog. Studiosi,

*d. XXIII. AUGUSTI, ANNI MDCXCIII.*

publicè ventilabit

AUTOR

**JOHANNES Schiedt/Grīnensis,**  
**H. L. Q. C.**

*LIPSIÆ,*

Typis GOEZIANIS.



14

O. D. B. V.

INSTITUTIO ACADEMICA

STREITPUNKT  
SÄFTYRIGS

In claus. Facultate Philologica  
conclusoribus

STREITPUNKT

STREITPUNKT

STREITPUNKT

STREITPUNKT

STREITPUNKT

STREITPUNKT

AUTOR

STREITPUNKT

STREITPUNKT

STREITPUNKT

STREITPUNKT

STREITPUNKT

STREITPUNKT



## CONSPECTUS MATERIÆ.

<p><i>Thematis tractandi ratio.</i> §. 1.</p> <p><i>Satyricæ Poeseos, cum Tragædiâ &amp; Comædiâ communis origo.</i> §. 2.</p> <p><i>Satyrica Tragædiæ comes &amp; affecla.</i> §. 3.</p> <p><i>Heinsii à Casaubono dissensus circa vocem Satiram.</i> §. 4.</p> <p><i>Satiræ Romanæ mutationes, ejusq; divisio in 2. species.</i> §. 5.</p> <p><i>Ennianæ &amp; Varronianæ Satiræ descriptio.</i> §. 6.</p> <p><i>Lucilianæ Satiræ discrimen ab Enni-</i></p>	<p><i>ana &amp; Satyricâ Græcorum poësi, Convenientia cum Græcorum Sillis, &amp; Æmulatores.</i> §. 7.</p> <p><i>Judicia magnorum Virorum de Horatio, Persio, &amp; Juvenali.</i> §. 8.</p> <p><i>Recentiorum Satyrarum Exempla.</i> §. 9.</p> <p><i>Satyrarum licitarum utilitas.</i> §. 10.</p> <p><i>Objectionum quarundam Solutio.</i> §. 11.</p> <p><i>Admonitio ad Lectorem.</i> §. 12.</p>
--	---

### §. I.

**H**æc Nostri de Scriptis Satyricis pertractare ritè si volumus, operæ erit pretium, Origine Satyrarum priùs deductâ, Moralitatem quoq; earum paucis asserere. Et originem quidem à Poësi Græcorum Satyricâ multi cum deducant, alii Romanæ Satyræ vindicent, utriusque originem declarare non abs re fuerit; In quâ deducendâ *Casaubonum* incomparabilem, & sicubi erravit, *Heinsium* Adversarium Ejus sequi nunc constituimus.

§. II. Satyricæ igitur Poëseos origo ab illis repetenda, conventibus, quos vetustissimi mortales collectis frugibus cogere soliti, ut gratias diis acturi sacrificiis operarentur, quosq; sustinerant, laborum memoriam posituri animum relaxarent ac jucunditati se darent. Ibi tum homines curis soluti & genio indulgentes ac vino pleni dictis ciebant risum, aliusq; in alium scommata jaciebat, & sua sibi vitia aut inhonesta facta objectabat. Omnia enim etiam acerbiora dicta licentia Epularum & temulentia excusabant. Ita paulatim ab istis principiis mos auxit

in festorum dierum solennibus; successu ipsò & voluptate, quam ex hòc omnes percipiebant, elegantiorum studia alente, ac acuate: cùm interea nullam per diu adhiberent artem, sed solò naturæ impulsu & singuli singulos & plures confertim multos tam inter epulas quàm post epulas suæ atq; aliorum oblectationis causâ liberioribus istiusmodi dictis lacefferent; simul etiam ad numeros inconditos pedes moverent, veriùs quàm saltarent. Unde tandem nascebantur chori, saltationesque ad numerum, adeoq; poësis ipsa: naturâ paulatim eò ducente, ut & verba, quæ dicebant, & pedes, quos movebant, numeris h. e. μέτρῳ ῥυθμῶ, καὶ ἀρμονία adstringerent: quos numeros innumeros, eò tempore fundi solitos & sine arte, appellat Aristoteles αὐτοχεδιάσματα, ex quibus est Poësis prognata. Et quidem, quod Aristoteles nos docet, ἔπη sive heroica metra & ἰάμβοι fuerunt primùm in usu: Illa usurpabant viri graviores, cùm Deorum laudes canerent, & honestas heroum actiones imitarentur, aut casus illorum narrarent; Jambis utebantur sequioris ingenii homines, quibus volupe erat perperam facta ab aliis imitando probra illis dicere. Quapropter gravissimos scriptores, de antiquissimâ poësi locutos, duo illius genera commemorare videas; alterius ἐναγωνίῃς καὶ κατεσπυδασμένης, quæ tota seria, tota severa: alterius κερτόμῃς καὶ τωθασικῆς, quæ tota jocularis & ridicula. Ad prius genus pertinere dithyrambi Liberi Patris, genus Carminis vetustissimum, hymni deorum aliorum, & heroum Encomia; ad posterius jambi illi vetustissimi referri debent, de quibus modò dictum ex Aristotele, & τὰ Φαλλικά, quod est antiquissimum Genus infamæ licentiæ versuum Jambicorum, quos tùm usurparunt, eùm Phallagogia dictam Bacchi impurissimam solennitatem agitabant. Ut hæc rudia αὐτοχεδιάσματα progenita erant, teste Aristotele, ἀπὸ φυσικῆς ἀρχῆς: Sic ars ἀπὸ ἀρχῆς αὐτοχεδιασικῆς. Nam qui soliti erant in sacris conventibus & ludorum solennitatibus levi quâdam operâ,

& hi epulantes  
 imidi, lascivi,  
 & imidi in refe-  
 riantem.

operâ, & non admodum operosâ eorum imitatione, quæ fuerant ab illis gesta, deos aut heroes laudare, rem in majus augentes fabulas & dramata condere cœpere; quæ postea appellarunt tragœdias: qui autem jocularis versus fundere soliti, ut phallica & id genus alia, adhibitâ arte & fabulis integris compositis comœdiam ediderunt. Atque adeo ἐκ μικρῶν μύθων, ex fabulis minutis & imperfectis, quas Chori Satyrorum instituti apparatu modicô cum saltibus & conveniente Satyrorum lasciviæ petulantia orationis agebant, orta est Tragœdia; sicut Aristoteles dicit: τὸ μέγεθος τῆς τραγωδίας ἐκ μικρῶν μύθων καὶ λέξεως γελοίας, διὰ τὸ ἐκ σατυρικῆ μεταβαλεῖν, ὅψ' ἀποσεμνώθη.

§. III. Posteaquàm igitur, quæ hæctenus humilia habuerat initia, perfecta fuit Tragœdia, convenientem illam sibi Majestatem consecuta, cujus gratiâ dicitur Aristoteli ἀποσεμνώθηνας, Satyris exclusis & lasciviâ priore mutatâ: tragicæ asperitatis & mœsti supercilii diverticula quærebant Spectatores. Quorum desideriiis satisfacturi Tragœdiarum poëtæ, revocatis Satyris, quos Tragœdia excluderat, vetustissimum inventum Satyrici chori, in scenâ lascivientis, novâ facie induerunt, & ad similitudinem Tragicæ Fabulæ *Satyricam* concinnare instituerunt. Hinc Diomedes: Satyrica est apud Græcos Fabula, in quâ item Tragici Poëtæ non Reges aut Heroas, sed Satyros induxerunt, ludendi causâ jocandique, ut simul spectator inter res tragicas seriasq; Satyrorum quoq; jocis & lusibus delectaretur. Et Casaubonus: Satyrica est poëma dramaticum, tragœdiæ annexum, chorum è Satyris habens, personarum illustrium actionem notabilem partim seriam partim jocosam exprimens stylo hilari, exitu plerumque læto.

§. IV. A Poësi Græcorum Satyricâ devenimus nunc ad Romanam Satyram, circa quam vocem If. Casaubonum & Dan. Heinsium discrepare videas. *Casaubonus in tractatu de Romanorum Satira l. 2. c. 4.* exagitat grammaticos nonnullos,

quod, cum τῆς σατυρικῆς Græcorum Nomen saltem haberent notum, occasione è similitudine illâ Nominum arreptâ, Satyram à Satyris pariter esse dictam pronunciarint: e. g. Diomedem, Satyra, inquentem, dicta sive à Satyris, quòd similiter in hoc Carmine ridiculæ res pudendæque dicantur, quæ velut à Satyris proferuntur; &c. & Elpidium, poëtam Christianum, hoc qui etymum quoque secutus est. Cæterum putat, ab hõc Etymo manasse consuetudinem, quæ per aliquot retrò secula obtinuerit, & nunc quoque obtineat, non aliter hoc nomen scribendi, nisi cum græcâ literâ, *Satyræ*: quod malè quidem factum, cum *Satira* romana vox sit, & quidem antiquissima apud illos: ac proinde ante illa tempora iis nota, quibus græcas disciplinas cum illarum nominibus simul acceperunt. *Heinsius* contrà contendit, græcam ejus nominis originem esse: Nam, inquit, ut Satyros à choro Græci, sed serò; ita Græcâ voce & antiquâ Satyram Latini; & utrique Satyricam poësin, non poësin Satyram, aut Satyros poëtas dixerunt. Ut cum à Tzetze Pratinas Satyricus; Latinis voce eadem Flaccus, & qui in eodem genere versantur, Persius ac Juvenalis designantur: quam ab Ennii ac Varronis, quæ diversis versibus, aut carmine ac prosâ, constabant, Diomedes, Quintilianus, ac Horatius distinguunt. *Et alibi*: Quærent viri summi, quomodo vox Græca Romam pervenire tum potuerit: qui & Latinam esse, cum de Hesychio non cogitarent, mordicitus defendunt. Quibus veteres pro nobis hîc respondent: qui Sabinos Lacedæmoniorum colonos faciunt. Quod nec Autor gravissimus Plutarchus negat & Poëtæ testantur: qui nunc Oebalios, nunc Amyclæos, nunc Theramnæos (quæ Lacedæmoniorum sunt nomina) Sabinos vocant. Sabinos autem ab initiõ transisse Romam, nemo est, qui nescit. Quid mirum ergò, si vox unica? & imprimis sacra, aut in sacris usurpata, quas constanter omnes gentes præ reliquis servare immutatas solent. Quò ipsõ Diony-  
sius



fius Græcas, non Barbaras fuisse gentes docet, (quod existima-  
bant alii) quæ Romam primò convenerunt. Quid quod illi  
ipsi viri magni, alibi plerasque Sabinorum voces Doricas h. e.  
Græcas fuisse docent? cum ipsi è Peloponneso orti essent. Un-  
de vox Atta, à quò Atta Clausus: unde Nero, quæ est *Νεύρων* &  
similes. Ut omittam jam, Decemviros tot ante annos,  
quàm ullius Satyræ fit mentio, Græcas Romam attulisse  
leges.

§. V. Haftenus de ejus vocis Origine. Nunc ejus histo-  
riam breviter texturi, eandem notamus multas mutationes  
passam, varièque tractatam à Latinis poëtis fuisse, donec tan-  
dem ad duas species fuit perducta. Nimirum ad antiquissi-  
mam poësin Latinam spectasse dicit Casaubonus non modò  
versus Saturnios, & Fescenninos, sed etiam Satiram, ex jocola-  
ribus dictis, quæ fundi priùs temerè solebant in Romanorum  
solennibus, ortam, & fuisse hanc Carmen, ridicula versibus in-  
textam continens, quæ inter se more antiquò jactitabant. Hanc  
Satyram veterem secuta est Fabularum compositio, quarum  
Autor primus Andronicus, homo & Græcus & Græcis literis  
excultus: qui postea ab hero M. Livio Salinatore, cujus libe-  
ros erudiit, manumissus, Livius Andronicus est dictus. Fa-  
bulis verò doceri cœptis spreta fuit initiò Satyra, verùm hoc  
tantisper, dum ipsos poëtas suas in scena fabulas agere moris  
esset: ubi verò agendi partes ad histriones sunt translatae, ipsam  
juventutem Romanam retulisse in scenam risus jocosque prio-  
rum Satyrarum compertum est: non quidem ut fabulas exclu-  
derent, sed ut fabulis ipsis, præsertim autem Atellanis, adjunge-  
rentur. Postea mos obtinuit, ut Exodia dici cœperint, quæ  
priùs fuerunt Satyræ. Ultima mutatio, quam Romana Satyra  
fuit passa, erat hæc, quod perduceretur ad duas species, Ennia-  
nam sc. & Lucilianam.

§. VI.

§. VI. De Ennianâ jam paucis. Et habebat ea Auto-  
rem Ennium, qui natus est anno proximô, postquam Livius An-  
dronicus fabulas Romæ docere inceperat, quiq̃ue, cum diffe-  
rentem non parùm ab antiquissimâ & omnium primâ Satyram  
scribere instituisset, Satyræ primus Autor est habitus. Eam sic  
describit Diomedes, Est, inquit, Carmen, quod ex variis Poë-  
matibus constat. *Et alibi:* Miscellam diversi generis carmi-  
num fuisse Ennii Satyras comperi. Sicut & ipse Casaubonus  
ex ipsis fragmentis, quæ tamen superesse non adeò multa dicit,  
hoc verum deprehendit, quippe non solùm in diversis libris a-  
liud atq̃ue aliud metrum usurpaverit, sed etiam in eâdem Saty-  
râ. Hoc Ennii Exemplum apud Latinos posterioribus ingeniis  
fiduciam attulisse dicit Casaubonus, ut non solùm diversorum  
generum metra eòdem congererent, sed etiam ut ibridas  
prorsus scriptiones ederent, è solutâ Oratione & numeris ad-  
strictâ conflatas, cujusmodi lasciviæ Satyra fuisse dicitur Varro-  
niana, profecta à Terentio Varrone, qui Satyras suas dixit Me-  
nippéas, non quia profam cum versu eodem modò ut Menip-  
pus miscuit, sed propter simile quoddam jucunditatis tempera-  
mentum in materiâ non dissimili, in quò Menippum imitatus  
est, ut non abs re utrumq̃ue hunc Autorem *σπυδογελοῖον* & scri-  
pta amborum philosophiam ludentem nuncupari posse Ca-  
saubonus existimet. E Græcis verò scriptoribus, qui Varro-  
nis exemplò Menippum sunt secuti, nullus hodiè superesse cre-  
ditur, qui ad characterem dicendi illi usurpatum satis *ἐπισήμως*  
accedere sit dicendus, nisi quod Juliani *κρόνια* sive Symposium,  
quò priores omnes Cæsares irrisit, Menippéum aliquid sapere,  
nec non Lucianus à Menippò non pauca mutuatus, & in mul-  
tis eum imitatus fuisse videatur. Ut taceam, è Romanis Scri-  
ptoribus, qui Varronis Exemplò utramq̃ue facundiam in eò-  
dem argumento ac Scripto exercuerunt, multos fuisse, sicut  
hoc probant Liber Senecæ, quò in mortuum Claudium venu-  
stissimè

stiffimè invehitur, Boëtius in consolat. Philosophiæ, Petronius Arbiter & Martianus Capella, quorum duo postremi libros suos inscripsisse dicuntur Satyrica, contra quam vocem inhitur *Casaubonus*, putans, Petronium librum suum inscripsisse Saturicum sive Satiricum: (quomodo Commentarium dicitur pro Commentario libro, Apologeticus pro Apologetico libro) eosq; qui Satyricon titulum Petronii reliquiis imposuerunt, sine dubio Græcam vocis Satiræ Originem spectasse, cujus tamen rei nunquam Auctori venisse in mentem pro certo habeat. Cæterum Martiani Capellæ libros malè putat inscribi Satyricum, cum ipse Satiram semper nominarit. Quicquid tamen hujus sit, *Caspar Scioppius*, in præfatione ad Lectorem, Elementis Philosophiæ Stoicæ Moralis præmissa, rectè *Satyricon* appellari posse existimat opus ejusmodi, in quò quasi per Satyram varia argumenta, variò ac multiplici stili genere pertractentur, cujusmodi sint Petronii Arbitri, Martiani Capellæ, Boëthii de consolatione Philosophiæ libelli: quam ob causam etiam ipse suum librum de rectâ juventutis institutione *Satyricon* inscripserit ob multiplicem illam, quam habeat, rerum pariter & sententiarum, ab optimò quoq; Scriptorum veterum adscitarum, varietatem.

§. VII. Restat *Luciliana Satira*, quæ, Diomede teste, est carmen, apud Romanos maledicum, & ad carpenda hominum vitia archææ comœdiæ caractere compositum. Nimirum Lucilius, cum ad carpenda hominum vitia in suis poëmatis stylum convertisset, in eò veteris comœdiæ Atheniensium licentiam usurpavit, quam ob causam etiam inventor talis Satyræ, sicut Ennius ἀπλώς Satyræ, celebratus fuit. Præterea quoque in Satyris variò metrò usus, nonnullas heroicò metro, nonnullas Jambicò, aliò quoque nonnullas composuit. Discrimen verò Ennianæ & Lucilianæ Satyræ fuit in materiâ & illius tractandæ modò, quandoquidem Lucilius multò magis

B  
quàm

quàm Ennius personis adhæsit, & in notandis objurgandisque vitiosis plurimus fuit. Quâ in re quoniam summâ libertate erat usus, nominibus etiam adjectis magnatum & in Republicâ potentum: visus fuit, mutatô genere metri & facie poeseos priscam Atheniensium Comœdiam retulisse. Nec sufficit discrimen Enniana & Luciliana declarasse, sed requiritur etiam paucis L. B. quæ differentia Romana Satyræ & Poëseos Græcorum Satyricæ ex *Casaubono* declarare; quippe constat, quandam nominis affinitatem inter has intercedere, & ceterum genere & differentiâ specifica dissidere, cum illa ut plurimum *δηγματική*, interdum ex utroque mixta; hæc verò tota dramatica sit; illa nullos Satyros, hæc verò choros Satyrorum saltantium & jocos ferentium habeat. Optimè autem *Casaubono* Romana Satira cum Græcorum Sillis, genere quodam Græcorum Carminis, componi posse videtur, cum utrumque narrativum vel certè mixtum; utrumque vehemens in objurgatione; utrumque; *διασυρτικόν* & plenum cachinnorum, quod & nomen ipsum Sillorum indicet, quippe *σιλλοὶ παρὰ τὸ σιλλαίνειν* dicti, quod sit irridere, subsannare. Lucilii verò Satyras, reperti sunt, qui æmularentur, non sine aliquâ ejus carminis immutatione; quorum quidem cum sint adeò multi, breviter eos *ex Casaubono* narrabimus. In his numerandus *Varro Atacinus*, cum aliis nonnullis, quorum nomina fama obscura recondit, *Sævius Nicanor, Lenaus, Horatius Flaccus, Julius Florus, Persius, Juvenalis, Julius Rufus, Turnus, Silius, Tucca, M. Cornutus, Sulpitia, Galbius, Rubrius, L. Apulejus, Decius, Rusticus Elpidius*. Nobilissimi tamen omnium, qui insignem in Satirâ laudem fuerunt adepti, sunt *Horatius, Persius & Juvenalis*.

§. VIII. De tribus his posterioribus Judicia circumferuntur *tum Scaligeri*: Juvenalis, inquentis, ardet, instat, apertè jugulat; Persius insultat, Horatius irridet. Iccircò illi Satyras.

ras inscribere. Hic sermonis titulò contentus fuit. Surrepit enim ac insinuat sese in ejus gremium, quem vult mordere. Cæterum, neque argumentorum varietate ( quibus in verbis paulò iniquiorem esse Horatio B. Rappoltus existimat ) neque dexteritate tractandi, neque Urbanitate inventionis, neque crebritate sententiarum, neque acrimoniâ reprehensionis, neque acumine dicendi, neque facetiis aut Urbanitate par aut comparandus Juvenali est: *tum Casauboni*, qui Horatium unicâ inventionis laude Luciliò minorem in Satirâ, cæteris rebus omnibus ipsò meliorem & potiorem existimat. Quippe non ambigit, quin & seculò politiore natus, & ad id genus carminis ingeniò naturâque fuerit aptissimus, cum dicacem & urbanum hominem, atque *εὐθικτον* Satira desideret, qualem fuisse Horatium & vita & scripta manifestissimè arguant. Porrò eum laudat, quod acceptam à Lucilio Satiram, partim seculi vitio, partim incuriâ poëtæ horridiusculam, politioem fecerit, convitia illius asperiora in sales & jocos *γλυκυπίκτους* mutaverit, Græca verba ab hoc Carmine exclusit, Satiramque heroico versui propriam asseruerit, spretis metris aliis, in quò judicium illius alii poëtæ confirmarint, qui ad scribendas Satiras animum postea converterint. Præterea observat, Horatii Satiras duorum generum esse inter se diversorum: alias enim esse *ἐλεγκτικὰς* & ad notandos, ridendos, interdum & acrius increpandos vitiosos compositas: alias ad præcipiendum de virtute & ejus amorem insinuandum *διδασκτικὰς*; *tum Magni Morbosi*, putantis, neminem unquam feliciter expressisse genium Satyræ ipsò Horatiò, ac de industriâ hoc illi Carminis genus quæsitum, neque aliam Satyris esse indolem, quàm quæ ridendo & familiari sermone verum dicat, non gravitate concionatoriâ, quæ cum Satyrarum scriptoribus stultissimè componatur, quod factum quidem sit à Claudio Verdierio. vide Ejus Polyhist. l. i. p. 179.

§. IX. Recentiores superest ut Satyras allegem, quarum

B 2

pro-

prolixam Syllogen supra laudatus *Morbofius* textit, in Polyhist. l. 3. c. 12. p. 144. Multas qui legere vult collectas, evolvat *Anonymi* cujusdam elegantiores præstantium virorum Satyras, Lugduni Batavorum in 12. impressas, & *Boxbornii* Poëtas Satyricos minores, cum ejusdem Commentariis. Cæterum *Jo. Val. Andreas* in Mythol. Christ. p. 342. varios Satyricos allegavit; sic etiam *Bæclerus* in *Dissert. de libert. senat.* allegat Vitellianos apud Tacitum Characteres, Barclaji Euphormionem & Argenidem, Budæi de transitu Hellenismi ad Christianismum, Grotii antiquam Bataviam, Godofredi orationes tres, quibus Ulpiani, Juliani, & Achajæ nomina indidir. Præterea *Excell. Dn. Thomafius* in *jocosis ac seriis Colloquiis A. 1688. editis* allegat Boileau Satyras Gallicas editas: Petit discours Satyriques & Moraux, ou Satyres generales: Erasmi Roterodami Colloquia & Librum de Moriâ: L'Espion du Grand-Seigneur, & ses relations secretes, envogées à Constantinople, contenant les evenements les plus considerables, arrivés pendant la vie de Lovis le Grand. Traduit de l'Arabe par le Sieur Jean Paul Marana, à Amsterdam 1688. in 8vo cujus Autorem sub fictâ Panegyri Gallorum vitia perstringere non immeritò putat: In *liberioribus verò meditationibus A. 1689.* allegat p. 661. Satyricos historiae multos amatoriae scriptores, qui sunt: Don Quixote de la Mancha, Scarrons Roman Comique, Sorels Francion, & Bergers Extravagant. In *Actis deniq; Eruditorum Mense Aprili Anni MDCXC.* recenseri videmus librum Gallicum, cujus titulus: Des Satyres Personnelles. Traite Historique & Critique de Celles qui portent le titre d'ANTI: in quò Autor, qui *Alberti Lainerii Vertoni* nomen sibi sumpsit, sub quo tamen *Adrianum Bailleum*, scriptis insignibus notissimum, *judiciiq; de scriptoribus quibusvis ferendi dexteri tate pollentem suspicantur imò in indice expriment Actorum Eruditorum Collectores Lipsienses Celeberrimi*, enumerat libros, quorum in titulis *Anti* occurrit; eosq; qui tituli a-

ciem

e. i. g. Tartiffy  
ebrafis.

ciem in personas eorum, quorū libros sibi confutandos propo-  
fuerunt, stringant, adhibitā voculā *Anti*, Satyras personales vo-  
cat; qui verò hāc quidem particulā *Anti* notatum titulum osten-  
tant, nomen verò ejus Autoris, cui adversantur, adjectum non  
habent, ut Antiparadoxa, Antapologias, Anticrises, Antisophi-  
sticas, Antibarbaros, Antirosaria, realibus Satyris annumerat.  
Sic Satyrarum quoq; nomine veniunt *Boccalini* Relationes ex  
Parnasso, quorum Autorem faciunt Cardinalem Cajetanum.  
vide Morhof. Polyhist. l. i. c. 9. p. 81. *Nic. Villani* duæ Satyræ, quarū  
altera; Dii vestram fidem: altera; Nos canimus surdis. vide Janū  
Niciū Erythræum p. 189. *J. Arndii* Satyra de Poesi ejusq; ab-  
usibus variis: *Ejusdem* Satyra de studiis liberalibus, eorumq; mi-  
serā conditione, portum præcipuè anhelantibus: *Ejusdem* Saty-  
ra, quā seculi mores & vitia passim dominantia jucundè narran-  
tur: *J. V. Andreae* Menippus seu Dialogi Satyrici: *J. Laurenbergii*  
Satyra, quā rerum bonarum abusus & vitia nostri seculi perstrin-  
guntur, quibus annumerari videas *Magni Ziegleri* Rabulisticam,  
Rabularum quā vitia jucundè perstringit, & *Petri Firmiani* Gy-  
gem Gallum. Hodiernum qui vestium luxum castigatum lege-  
re vult, legat *Paulum Patrem* in Arcanis Moralibus. Symb. IV. p. 32. E Satyris Germanicis habemus *den Reinecke Fuchs / Frosch  
mäuseler* / in quibus fallaces Aulicorum mores perstringuntur;  
nec non *libellum von den losen Füchsen dieser Welt* / ac *Philandri  
de Sittevald Gesichte* / item *Samuel Greiffensobns Satyri-  
schen Pilgram und Satyrischen Welt-Bucker*: Et alias plures.

§. 10. In Moralitatem nunc Satyrarum inquisituris, eæ vi-  
dentur *Jure permissivò licitæ*, quæ *leges* Satyræ non violant  
peccando contra objectum, modum, & finem licitæ Satyræ, h. e.  
quæ *primò sola humana vitia* in genere perstringunt, personis  
ipsis nec claris circumstantiis descriptis, nec planè nominatis,  
ut malè fecit Boileau in Satyris suis, licet hoc factum sub finem  
Satyrarum suarum exemplò Lucilii, Horatii, & Persii defendere

Ming recte hic  
receptur, quippe  
propositum fuit  
venis aut p...

conetur: *secundò prudenter, jucundè & honestè*, non læsâ urbanitate per locutiones obscœnas, ut fecisse constat Juvenalem, Horatium, & Petronium Arbitrum, quos recenset *Præceptor noster summè Reverendus, Dn. L. Rechenberg in disp. de libris obscœnis. §. 5.* Inter Latinos, *inquiens*, Poetas veteres propter obscœna præcipuè noti sunt tum tres illi nequitiarum magistri, Catullus, Tibullus, Propertius, tum Ovidius, Martialis, ac Juvenalis. Aliqui etiam Horatium interdum prætextatis verbis utentem, it. ex Comicis Plautum & Terentium illis accensent. Sed omnium castæ latinitatis scriptorum impuritatem superat impurus ille castæ latinitatis scriptor Petronius Arbiter, tot Eruditorum Christianorum, quod mireris, commentariis illustratus; *tertiò emendationis gratiâ*, quam quilibet homo Satyras scripturus intendere certè tenetur. Hinc Raynaudus in Erotematibus de malis ac bonis libris Partit. 1. Erot. 8. p. 70. Satyræ, inquit, licet sint scripta vulnifica, ut loquitur Rutilius l. 1. Itinerarii, agens de Lucilli cujusdam scriptis; quia generatim tantum feriunt vitia, non reprehenduntur, dummodò prudens sit impetio vitii. Ejusmodi *Satyras in correctionem vitiorum compositas Prudentes* semper judicarunt *utilissimas*. Sic notissimum est effatum *Fabii Planciadi Fulgentii, l. 1. Mythol.* Licet, inquentis, mulierum verbalibus undis omnes cedant, nec Grammatici mutiant, Rhetor taceat, & clamorem Præco compescat, sola est Satyra, quæ modum imponit furentibus: Et *Rutilii l. 1. Itinerarii*, Fructuosa est Satyræ conscriptio & vulgatio: Et *Ovveni l. 2. Epigr. 200.*

Idem, qui legum, Satyrarum finis, idemq;

Principium; Mores has genuere mali.

*Et B. Rappolti in Comment. in Horat. Part. II. cap. III. p. 9.* Quamvis Satyra in iis, quæ ad mores pertinent, præcipuè occupetur, indeq; Horatius & Satyrici alii à Johanne Saresberienſe passim Ethici appellantur; longè tamen latiq; fimbrias suas extendit, atq; idè ferè cū philosophiâ objectum agnoscit. Quæ cū perfectio quædam animi sit, & ut Cicero loquitur, Medicina: animiq; vires



vires primariae medicinam & perfectionem desiderantes duae sint, altera τῆς λόγῃ, altera τῆς ὀρέξεως; utriusque partis morbo ut Philosophia sic & Satyra medetur. Et ex intellectu quidem ignorantiam, ex voluntate & appetitu malitiam aufert. Ut non immerito de Satyra, quod Plutarchus de Philosophia pronunciat, esse eam τῶν τῆς ψυχῆς ἀρρώσθημάτων καὶ παθῶν φάρμακον. Hinc & Carolus IX. Franciae Rex, ut dissolutos aulicorum suorum mores corrigeret, reducere voluit morem antiquum scribendi Satyras, jamque publico edicto eam libertatem Ronsardo Poetae Gallo fecerat, vide Vernuleji observat. polit. ad l. 4. Annal. Taciti Obs. 12. Et meminit Schuppius, Theologus quondam Hamburgensis, illustris alicujus personae, duos quae habuit cognatos, processibus in foro deditos maximisque discordiis, quas quidem per Advocatos, ut vocant, Procuratores, aliosque homines ali coeptas tanta animorum exacerbatio secuta sit, ut, utriusque partis ministri si forte convenerint, alter alterum vulneribus confodere ausus sit: cujus iussu Schuppius hanc illis stultitiam scripto, cujus titulus: Der unversöhnliche Lucidor, jucunde satis exposuit, tanto quidem effectu, ut litium flammæ extingui sensim coeperint. vide Schuppii absgebothigte Ehren Rettung.

§. XI. Hinc consultum esse putamus, Satyras scribere, dummodo leges Satyrae non violent. *Non enim obstat*, Satyricos aliis quidem voluptatem contrahere, sibi ipsis vero molestiam, tantam quidem, ut, si vel maxime, quarum sola vitia perstringunt, personas non nominent, nec circumstantiis clarioribus describant, pro Pasquinis tamen habeantur, hasque vel illas personas notasse censeantur: *Nam* à vulgo hoc & Jurium ignaris, quin ab ipsis personis, sua quae vitia reprehendi sentiunt, ut plurimum fieri videmus, quod à prudentioribus minime verendum. *Neg, obstat*, quod multi objiciunt, utilitatis Satyrae non adeo magnae esse, quarum quippe lectores non emendandorum vitiorum gratia, sed risum capiendi, contentaque ad alios applicandi legant: *Nam* hoc per accidens fieri compertum est, cum utilitas Satyrarum per se aliàs longè lateque pateat. *Neg, illud obstat*, Satyricos vocatione destitui scribendi Satyras, perque eas hominibus vitia exprobrandi: *Nam* cum Satyrae sint nec Jure divino positivo nec Jure Naturali vetitae aut praecipitae; in cujusvis arbitrio positae, & licitae sunt; quae verò cuilibet licita sunt, ea non requirunt singularem vocationem: *Neg, denique obstat*, quando iniquum esse pertendunt, Satyras vel ad status hierarchicos collectim, vel ad singulos seorsim dirigi, quòd status Ecclesiasticus ob labores, quibus fungitur, maximos, summamque,

in.

190  
in Rempublicā ab eō redundantem, utilitatem mereatur, ut vitia ejus Chri-  
stiana tegat Charitas, nec vulgo temerè aperiatur; status verò politicus fa-  
cile turbetur, Satyris si subditi, de Magistratū vitii admoniti, veneratio-  
nem ei debitam denegarent; status deniq; domesticus, variis jam tributo-  
rum malorumq; domesticorum calamitatibus pressus, pluribus per Saty-  
ram molestiis obruatur: *Nam* Satyricus nec ad status hierarchicos colle-  
ctim, nec ad singulos seorsim dirigere suas Satyras opus habet, sed ad sta-  
tus minores alios potest, sub hierarchicis quidem comprehensos, sed non  
sub Doctorum, Magistratū, & subditorum titulō consideratos. *Neg, illud*  
*majoris est momenti,* quando Autor quidam Politicus, *cujus meminit Dn.*  
*Thomasius in jocosis ac seriis Colloquiis, Mense Septembri p. 319.* in præfatio-  
ne, Historiæ Serenissimæ Brandenburgicæ domū præmissā, posteros pu-  
tat majorem utilitatem percipere, si eis virtutes & facta Magnatum, quàm  
si eorum vitia exponerentur; quod facta Magnatum egregia homines  
semper ad actiones majores, facta verò turpia ad imitationem similem e-  
osdem instigarent, persuasos certè, aliis si vitia non impedimento fuissent,  
nec sibi facile nocituras; adeoq; vitia omni modo sepelienda esse conten-  
dit, major ut virtutibus valor constare incipiat: *Nam* vel omnes, à præju-  
diciis modò Autoris illius vacuos, judicatuos existimamus, nobilium vi-  
rorum laudes ad similis imitationem virtutis instigare, scripta verò Satyri-  
ca, in hominum vitia prudenter directā, quam plurimos sanè justā vitio-  
rum castigatione à similibus retrahere vitiiis. *Neg, obstat illorum hominum*  
*effatum,* multas jam esse Satyras in vitia hominum compositas, quæ retar-  
dandis omnibus vitiosis sufficiant, provocantium simul ad *Boxhornii* epi-  
stolam ad Johannem Isacium Pontanum scriptam, in quā ita scribit: Lau-  
dabis me scio, quod recensendis ac illustrandis veterum Satyris, quàm no-  
vis scribendis, maluerim insudare. Tutius multò leguntur prioris ævi ma-  
la, quàm nostri culpantur. Nescio enim, quò pacto fieri soleat, ut cum avi-  
dè peccemus, nolimus tamen reprehendi. *Nam* quæ in vitia Veterum con-  
scriptæ sunt Satyræ, vitiosi veteribus nostri conscriptas esse putant, nec eas  
adeò morari assolent; recentiores tamen cum Satyras vel cupidius legere,  
vel eis quoque facilius moveri contingat.

§. 12. Tantùm de Scriptis Satyricis. Cæterùm L.B. rogamus, ut, histori-  
am Satyræ atq; moralitatem imperfectè si videat in hâc dissertatione fuis-  
se traditam, duarum plagularum consideret modò angustiam, quæ plurib9  
capiendis non suffecisset. Et si nolit his esse content9, *perfectam Satyrarum*  
*historiam,* à *Dn. Thomasio nuper promissam,* suisq; desideriiis haut dubiè sa-  
tisfacturam, expectet, nosq; brevitatem secutos excusare dignetur.

❧ (o) ❧

hri-  
fa-  
tio-  
to-  
ty-  
lle-  
sta-  
non  
llud  
Dn.  
tio-  
pu-  
iam  
nes  
n e-  
ent,  
en-  
eju-  
vi-  
yri-  
tio-  
um  
tar-  
epi-  
au-  
no-  
ma-  
avi-  
on-  
eas  
ere,  
  
ori-  
fui-  
rib9  
rum  
e sa-

ULB Halle

3

003 735 94X





